

Pveni in lectionibus publicis ad morbos Paralyticos; numerus auditorum quotidie frequentissimus, est. Nescio quomodo omnes potuisti evolvere authores; habeo plurimos è Bibliothecâ publicâ, omnes autem quos allegas, comparare nequeo. Heu! summam amaurosim Medicorum qui Tuo opuseulo aureo carere possunt! Ridebat primò collega meus cum in primâ lectione morbos secundum classes, genera, species, synonyma, etc., me traditurum dicebam; dixit me non aliter morbos cognoscere posse, quàm uti Botanicus plantas; nunc minus ridet, me cum facile omnes studiosi audiunt, illum verò pauci. Interrogabat quisnam ille SAUVAGES esset; methodum ab initio non laudabat, cum morbos ex causis proximis seu internis nosse dicebat. Fateor me Semeioticen tuo destitutus opere nolle profiteri.

Utinàm haberem aliquid è tuo terrestri Paradiso Monspeliensi! Utinàm posses habere aliquem Stockholmiâ qui transmitteret! Darem omnia quæ habeo edita.

Orationem habui de *Itinerum usû intrâ patriam*, quæ etiam impressa est *.

* *Oratio de peregrinationum intrâ patriam necessitate.* (Ups., 1742, in-4^o.) Prononcé à son entrée en fonctions comme Professeur.